

nomenon, ut sc. orbiculus ad perforatum hydriæ fundum
 hæreat, prout *Vossius*, *Morus* alijque scripserant. Sed enim-
 verò vix removeramus manum de hac tabula, h.e. bacillum ^{Phæn. V.}
 de orbiculo, cùm ecce subitò hic & cum aliquo crepitu ad
 summa subsiliret præter omnem nostram expectationem,
 idemque ter quaterque postea eodem modo continget,
 rem eandem tertiam quartaque vice, majoris certitudinis ergo,
 tentantibus. Placuit autem hoc idem experiri circa orbicu-
 lum minorem, quem suprà Phæn. III. descripsimus, omni-
 busque rite peractis hærentem tantillum, sed mox, unius mi-
 nuti secundi morulâ circiter interjectâ, & ipsum ad aquæ
 summitatem enatantem conspeximus. Hic verò Jovem ego
 jurare lapidem, non posse *Vossii* *Moriq;* assertum ita nudè
 simpliciterque prolatum esse verum (prout equidem recte
 me judicasse consequentia docebant) sed specialem quan-
 dam circumstantiam aut conditionem esse superaddendam,
 quam in foraminis magnitudine hac vice, licet erroneè, po-
 sitam esse conjiciebam. Statim igitur, foraminis exilitatem
 successui obstitisse ratus, arrepta limâ foramen EF ad sesqui-
 digitalem amplitudinem excavo, quam suprà num. IV. ad-
 notavi, demissoque mox orbiculo antememorato minutio-
 re, factisque sollicitè cæteris, lætus tandem conspicio parvu-
 lum lignum sub aquis ampliato sic foramini firmiter adhæ-
 rens nec loco suo vel hilum emotum, dum omnis aqua per
 epistomium M effluxisset. Sic autem confirmator in opi-
 nione mea, quod notabilis amplitudo foraminis exigatur in
 hoc experimento feliciter peragendo, nunc eò minus dubita-
 bam, etiam cum orbiculo grandiore rem successuram, quò
 spissior etiam hic illo altero, adeoque ex dupli capite pon-
 derosior, erat. Verùm enimverò (quod non absque fasti-
 dio hīc noto,) grandior is orbiculus etiam hac vice & subse-
 quentibus pluribus iterato experimento nostram spem elusit,
 causamque diversitatis conjicientes hanc porrò addere supe-
 riori cautionem jussit, ut foramen in hydriæ fundo non sit

Dd

magni-

^{Phæn. VI.}^{Phæn. VII.}